

CAP. I.

De esse Lapidis.

Materia lapidis
Materia lapidis est grossa, habens multum de terrestreitate, at parum secundum puritatem aut impuritatem, unde secundum quod dicit Aristoteles in fine libri Meteorum, Lapis non fit de terra pura; sed potius fit ex terra aquea, sicut videmus lapides generari in fluminibus quibusdā. Videmus etiam generari sal ab aqua salsa, quæ habet multum de terrestreitate, & lapidem per calorem solis & ignis. Est ergo materia lapidis aqua grossa, agens autem est calor vel frigus congelans illam aquam, & ad essentiam lapidis in actu deducēs. Natura autē lapidis invenitur in plantis, in animalibus, quos quidem lapides non sine magna virtute consideres. Aliqui autem ipsorum congelantur in animalibus virtute animalitatis, sicut carbunculis in capite cuiusdam serpentis, & de multis alijs lapidibus virtuosissimus. Et credas virtuosiores lapides qui procedunt ab animalibus quam alios. Alii autem congelantur virtute artificii cooperante natura, sed dicit Aristoteles, quod quidam faciunt quandam aquam ex duabus aquis confectam, quam lac virginis appellant, & coagulant ipsam in lapidem. Ista autem dicitur fieri ex litargiro dissoluto in aceto vini fortis & aqua cuiusdam salis, quæ vocatur Alkali, & cum qualibet istarum aquarum sic valde clara ambæ coniunctæ fiunt immediate quodam confectu mirabili una aqua spissa & alba sicut lac. Cum ista igitur aqua imbibunt quod in lapide congelare volunt, puta sic calx argenti aut alterius corporis, hac aqua imbuitur, postea ponatur ad lentum ignem in foco, & fiet lapis. Habet enim illud lac naturam congelandi calcem in lapides. Videmus enim ex sanguine & ovo & ex capillis & cerebro & ex alijs partibus animalium fieri lapides mirabilis efficacis & virtutis, verbi gratia. De sanguine accipiebatur sanguis humanus virorum sanorum, sanguineorum aut cerebriorum juvenum infra tres ætatis annos, & putrescebat in ventre equi calido per 24. dies, postea ponebatur in distillatorio, & cum lento igne distillabatur aqua alba ad modum lactis, quæ ponebatur sola ad partem. Deinde

Natura lapidis

Lac Virginis

Sanguis humanus de distillato